

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Sanctae Mechtildis virginis ordinis Sancti Benedicti Liber  
specialis gratiae**

**Mechthild <von Hackeborn>  
Mechthild <von Magdeburg>**

**Pictavii, 1877**

Caput V. De devota intentione et ingenti ac ferventi pro omnibus  
desiderio.

[urn:nbn:de:bsz:31-60070](#)

## CAPUT V.

DE DEVOTA INTENTIONE ET INGENTI AC FERVENTI PRO OMNIBUS  
DESIDERIO.

**A**PPROPINQUANTE igitur jucundissimo tempore beatissimi transitus ipsius, quo post diversarum ægritudinum lassitudinem, somnum perpetuae quietis imperturbabilem Dominus Electæ suæ dare disposuit; feria tertia<sup>1</sup>, in Vigilia sanctæ Elizabeth, ante Nonam cœpit evidenter agonizare. Cumque Conventus summa cum devotione convenisset, prædilectæ Sororis suæ exitum, maxima cum tristitia præstolantes, necnon consuetis orationibus præmunientes, una<sup>2</sup> ardenter ducta affectu vidiit animam ejus, in specie cujusdam puellæ valde delicatæ, coram Deo stantem, et omnem flatum quem spirabat, per vulnus sanctissimi lateris Cordi suo mellifluo immittentem; ex quo deificum Cor incontinentia propriæ benignitatis et dulcedinis commotum, quoties flatum ejus sibi suscepit immissum, toties ex amoris abundantia supereffluens, per totam Ecclesiæ latitudinem stillicidia gratiarum respersit, et specialiter in personas ibi præsentes. Et hoc intellexit ex eo esse quod ipsa beata infirma, Deo donante, devotam intentionem et ingens fervensque desiderium tunc specialius habebat, pro omnibus universaliter tam vivis quam defunctis; quibus omnibus ejus meritis benignus Dominus suæ gratiæ beneficia largiflue diffudit.

Cordivinum  
ad se trahit  
infirme  
spiritum.

1. Sic legitur in variis codicibus, præsertim Guelferbytano, et in editione teutonica 1505 hujus libri de morte Mechtildis, itemque in codice Vindobonensi Revelationum S. Gertrudis, contra editionem Lanspergianam earumdem, quæ sola *feria quarta* inscripsit.

2. scilicet, sancta Gertrudis. Cf. *Legatus*. V. 4. pag. 527.